



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarum reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Principium 4. Non est liber ab omni crimine, qui officinum Canonicum non recitat in tempore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

jus obligare potuit, ita potuit etiam certas circumstantias præscribere, quæ in recitandis Horis Canonicis observari debeant; atque adeò, sicut non satisfacit imperio Ecclesiæ, qui ipsas Horas Canonicas omnino omittit, ita nec satisfacit quoque, qui circumstantias sub gravi obligatione præscriptas negligit.

Praxis.

Hinc deducitur 1. non satisfacere obligationi suæ illum Sacerdotem, qui sine legitima causa non recitat officium ab ipsa Ecclesia præceptum, sed illud in notabiliter brevius mutat; uti Laym. n. 4. cum pluribus aliis sentit.

Deducitur 2. Etiam illum, non implere præceptum Ecclesiæ, qui cum notabili interruptione sine legitima causa recitat Horas Canonicas, uti ex c. nihil 7. q. 1. & c. nullus de consecr. d. 1. colligitur, & patet ex eo, inquit Layman. n. 7. quòd sic unitas & quasi forma orationis ab Ecclesia instituta solvatur.

Deducitur 3. Etsi non pauci, & graves Doctores solam attentionem ad verba sufficere contendunt ad Ecclesiæ præceptum adimplendum; contrariam tamen sententiam, quæ negat cum voluntaria distractione satisfieri præcepto Ecclesiæ, communiorem, & probabiliorem esse, uti Layman. n. 10. cum plurimis docet, & ex ipsa natura orationis, quæ est elevatio mentis ad Deum, colligit.

PRINCIPIUM IV.

Non est liber ab omni crimine, qui officium Canonicum non recitat in tempore.

Sensus.

Hoc est, qui in Horis Canonicis consuetum tempus sine justa causa non observat, non est omnino à veniali saltem culpa liber, si privatim eas recitet; secus si in publicis horis ordinem cum scandalo notabiliter inverteret, tum enim merito graviter peccare dicendus foret.

Authoritas.

Desumptum est ex communi Sensu Doctorum, ut videtur est apud Laym. n. 8. unde natum est illud proverbium ex Hugone

Ratione relatum: *Ante horam orare* (puta ex legitima causa) *providentia est, post horam negligentia, in hora obedientia.*

Ratio.

Quia non minus Ecclesia circa recitationem Horarum certum tempus, quam alias circumstantias præscribere potest, cum ergo ex communi sensu Doctorum & c. 1. de certum. miss. colligatur, eam certum tempus pro officio divino præscripsisse, meritò hoc perinde ac aliæ circumstantiæ observatur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui Matutinum cum Laudibus quoque legitima causa primùm Vespertino tempore diceret, peccato veniali obnoxium fore uti Layman. l. c. cum Suar. & aliis communiter docet.

Deducitur 2. Etiam illum non immunem fore à peccato veniali, qui Horas minores sine omni honesta causa usque ad octiduum differret, vel Vesperas & Completorium manè reciteret, uti idem Laym. l. c. cum aliis docet.

Deducitur 3. Etsi privatim juxta Suar. Azor. Less. & alios communiter licitum sit Matutinum cum laudibus pridie circiter finem temporis Vespertini recitare, cum ut S. Thomas 2. 2. q. 187. art. 2. discurret, Solemnitas diei sequentis juxta consuetudinem Ecclesiæ à Vesperis præcedentis diei incipiat, in publica tamen recitatione id non licere, nisi diebus illis, quibus ipsa Ecclesiæ consuetudo id permittit, uti communiter Authores docent.

PRINCIPIUM V.

Obligatur ad divinum Officium, quisquis participat Ecclesiasticum Beneficium.

Sensus.

Hoc est, præter Clericos in Majoribus Ordinibus constitutos, & Religiosos professos ad chorum destinatos, etiam Clerici, qui licet in minoribus tantùm ordinibus constituti Beneficium aliquod Ecclesiasticum actu participant, & possident.

Autho-